



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Panarion, Hoc Est, Arca Medica Variis Diuinæ Scriptvræ
priscorumq[ue] Patrvm Antidotis aduersus Animi morbos
instructa**

Busaeus, Johannes

Moguntiae, 1608

T.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54834)

tempus. Sic igitur & expirauit in diuitis vestibulo iacens, contemptus, irrisus, esuriens, canibus pabulum obiectus. Sic autem illius corpus debilitatum erat, vt nec canes irruentes, vlceraq; illius lingentes, posset abigere. Haud tamen querebat incantationem, non petala circumligauit, non expertus est imposturas, non veneficos ad se vocauit, nec aliud quicquam vetitarum artium tentauit, sed prius habuit illis immori malis, quam vlla parte deserere pietatem. Quam igitur veniam nos impetrabimus, qui cum illi in tantis malis perduravint, ob febriculam, aut leue vulnus procurrimus ad Synagogas Iudaicas, veneficos & impostores in aedes nostras accersimus?

VIDE. V. Curiositas. Illusiones spirituales. Veneficia.



T

TENTATIO

Remedia contra Tentationes.

P RIMUM Remedium. Considera sacre scripturæ testimonia. Ea autem testatur aliquando Deum tentare. Vt in Deut. Deut. 10. 3. Tentat vos Dominus Deus vester, vt palam fiat, vtum diligatis eum, au non? Et in Sap. Sap. 3. 5. Iac. 2. 19. Quonia Deus tentauit eos, & inuenit illos dignos se. Aliquando vero Deum non tentare, nempe ad decipiendum, vt apud B. Iacobum. Act. 5. 3. Nemo cum tentatur, dicat, quoniam à Deo tentatur. Deus. n. intentator malorum est: ipse autem neminem tentat. 2. docet diabolus tentare, nempe ad decipiendum. Vt in Actis Apostolorum cum B. Petrus dicit. Math. 4. 2. 1. Thess. 3. 5. Anania, cur tentauit Satanus cor tuum, mentiri te Spiritui sancto? Et B. Matthæus. Tunc Iesus ductus est in desertum, vt tentaretur à diabolo. Tunc accedens tentator dixit. Et D. Paulus. Ne forte tentauerit vos is, qui tentat, & inanis fiat labor noster. 3. testatur nos etiam tentari à propria carne. Vnusquisque, inquit B. Iacobus, Iac. 1. 14. Gal. 5. 17. à concupiscentia sua, abstractus & illectus. Et Paulus. Caro concupiscit aduersus Spiritum. 4. monet vt paremus nos ad tentationem. vnde Ecclesiasticus. Eccle. 2. 1. Fili, accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia & timore, & prapara animam tuam ad tentationem. Deinde, vt oremus, ne ab ea vincamur. Math. 26. 41. Matth. 6. 13. Vigilate & orate ait, Christus, vt non intretis in tentationem, Et in oratione Dominica iubet nos dicere. Et ne nos inducas in tentationem. ei scilicet consentiendo. Addit, Dei auxilium nunquam defuturum. 1. Cor. 10. 13. Fidelis Deus est, ait Apostolus, qui non patitur

Rrr tictur

dicetur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, si possitis sustinere.

Bas. ora. 11.

Luc. 22. 18.
Bas. hom. 6.

Amb. lib. 1. c. 3.

Psal. 73. 23.

Id. cap. 2.

Id. lib. 4. c. 4.

Eph. 6. 12.
Hier. ep. 2.
Iob. 7. 1.

Gen. 22. 1.
Chry. hom. 40.

Aug. ep. 144.
1. Theil. 3. 5.
Iac. 2. 13.

II. REMED. Considera sententias SS. Patrum. S. BASILIVS oratione de Patientia. *Ut gubernatorem nauis tempestas, athletam stadium, militem ens, magnanimum calamitas, sic Christianum hominem tentatio probat. Et sicut athletae certaminum labores coronis ad se allidunt, ita etiam homines Christianos probatio, quae ex tentationibus descendit, ad perfectionem ducit, si modo cum decenti tolerantia, ac non ingratarum actione, quae à Domino ordinantur, susceperimus.* Et alibi in dictum Lucae. *Destruam horrea mea. Duplex est tentationum genus. Nam vel cordulorum tanquam aurum in fornace per patientiam rebus adversis probantur, quae ipsorum declarant probitatem: aut certe ipsa vitae prosperitas saepe tentationis loco est. Aequè enim durum videtur, in rerum difficultate mini me delicti, ac in felicitate vocis tolli ad irrogandam contumeliam.* S. AMBR. de Abraham Patriarcha. *Aliter Deus tentat, aliter diabolus. Diabolus tentat, ut subruat: Deus tentat, ut coronet. Dominus que probatos sibi tentat. Unde et David dicit. Proba me Deus, et tenta me. Et sicut etiam Abraham probavit ante, et sic tentavit: ne si ante tentaret, quam probasset, gravaret. Probavit eum, cum exire de Charra iussit, et obedientem recepit, etc. Probavit igitur quasi fortiozem, tentandum putavit maioribus, et quibusdam imperitiis durioribus. Et in libro de paradiso. Non metuamus diabolum, qui consq. infirmus est, et ipse casurus sit in terram. Accepit quidem tentandi licentiam, sed non accepit captem subruendi: nisi sua sponte labatur infirmus affectus, qui sibi auxilium non novit interfire. Et commentario in Lucam. Docet te scriptura divina non solum contra venem et sanguinem, sed contra insidias spirituales tibi esse certamen. Vides magnificentiam Christiani viri, qui certat cum rectorib. mundi et licet constitutus in terris adversus spiritualia nequitia, quae sunt in caelestibus, animi virtute decernit.* S. HIER. ad Demetriadè, de Virginitate servanda. *Legimus in volumine I. b. tentatio, sive, (ut melius habetur in Hebraico) militia est vita hominis super terram. Ad hoc n. laboramus, et in seculi huius periclitamur militia, et in fine suo seculo coronemur. Nec mihi in hoc de hominibus credere, cum Dominus ipse tentatus sit. Et de Abraham scriptura testatur, quod Deus tentaverit eum.* S. CHRYS. in Genesim. *Ut Medicus, quando infirmum curat, neq. semper fame detinet, neq. semper larga mensa frui sinit, ut non vorax, ut febri pariens auget morbum, famem verò infirmiorè eum efficiat, sed coniectans apud se, quanta sint agrotantis vires, et diligenter utens arte omnia sua in medium affert. Sic et misericors Deus, sciens quid cuius expediat, aliquando concedit nobis prosperitate frui, aliquando autem exercitationis gratia tentationib. nos circumdat. Nam si virtute praediti sunt, qui tentantur, clariores evadunt, abundantiore sibi supernam gratiam conciliantes: si autem, ut nos, peccatores fuerint, et magna gratitudine tentationes ferunt, gravem deponunt peccatorum sarcinam, multaq. rema et ipsi possuntur.* S. AUG. ad Confessionium. *Scriptum est. Ne forte tentaverit vos, qui tentat. Et inanis sit labor vester. atq. hic intelligitur diabolus, tanquam Deus omnino non tentet: de quo alio loco scriptura dicit.*

ipse autem nemine tentat. Nec contraria est ista sententia ei qua dicitur. Tentat vos Dominus Deus vester: sed soluitur questio, cum vocabulum tentationis diuersas intelligentias habeat, eo quod alia tentatio deceptionis, alia tentatio probationis: secundum illam non intelligitur qui tentat, nisi diabolus: secundum hanc verò tentat Deus. Et in Quæstionibus ex nouo testamento. Salomon ait. Fili accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem, Quoniam tentationibus proficit homo, hæc data sunt monita. Vnde Apostolus, per tribulationes, inquit, oportet nos intrare in regnum Dei. Hæc tribulationum tentationes, diuersis modis accidunt, ut perseverantis animus in accepta fide possit coronari. Non solum in fide tentatur homo, sed & in agriuidine, & in damno, & in persecutione, & in morte charorum. GREG. lib. 21. Moral. Mentem nequaquam cogitatio immunda inquinat, cum pulsatur, sed cum hanc sibi per delectationem subiungat. Hinc etiam predicator egregius dicit. Tentatio vos non apprehendat nisi humana. Humana quippe tentatio est, qua plerumque in cogitatione cægemur, etiam nolentes: quia ut nonnunquam & illicita ad animam veniat, hoc vitium, in nobismetipsis ex humanitatis corruptibilis pondere habemus. Ita vero demoniaca est, & non humana tentatio, cum ad hoc quod carnis corruptibilitas suggerit, per consensum se animam astringit. Hinc iterum dicit. Non regnet peccatum in vestro mortali corpore.

III. R E M E D. Considera nullum hominem, quantumuis piuum, inde ab orbe condito, ne quidem Christum, immunem fuisse à tentatione, nec unquam futurum. Nam ut Iob, secundum LXX ait. Tentatio est vita hominis super terram. Vnde B. Hieronymus in Matthæum. Impossibile est humanam animam non tentari. Vnde & in oratione Dominica dicimus. Ne nos inducas in tentationem, non tentationem penitus recusantes, sed vires sustinendi in tentationibus deprecantes. Et in Epistolam ad Galatas. Vincere tentationem non unquam est in nostra potestate: ceterum tentari in potestate tentantis est. Si enim Saluator tentatus est, quis potest esse securus, intentatum se vitæ huius maria transire? CHRYS. Chry. lib. 1. SOSTOMVS de providentia Dei. Prorsus si quis omnia enumerare velit, plurima tentationis emolumenta reperiet, nullusque unquam ex his, qui Deo maxime chari atque acceptabiles fuerunt sine pressuris vixit, etiam si nostra nobis videatur. Nam si B. Paulus tantum negotium sustinuit, (nullus verò Paulo maior est, aut etiam æqualis) quantum tandem ratione alii credantur huiusmodi auxilio non indiguissè? S. A. V. G. in Psalmos. Vita nostra in hac peregrinatione non potest esse sine tentatione, quia profectus nostræ per tentationem nostram sit: nec sibi quisquam innotescit nisi tentatus: nec potest coronari, nisi vicerit: nec potest vincere, nisi certauerit, nec potest certare, nisi inimicum tentationes habuerit. Et de ciuitate Dei. Sciamus, quamlibet virtute præliandi vitis repugnemus, vel etiam vitia superare mus & subiugemus, quamlibet sumus in hoc corpore, nobis deesse non posse, vnde dicamus Deo. Dimitte nobis debita nostra. B. GREG. lib. 23. Moral. Quia in hac vita adhuc homo positus in cuiuslibet ordinis loco, in cuiuslibet secreti recessu viuere sine tentationibus, nullatenus potest, plerumque in id, quod ad requiem constituitur maior dolor tentationis inuenitur, &c. Via quippe est vita ipsa, qua ad patriam tendimus, & idcirco hic occulto iudicio frequenti perturbatione cõtorimur, ne vitam per-

patria diligamus. Solent etenim nonnulli viatores, cum amena forte esse prata in itinere conspiciunt, pergendi moras innellere, & à capti itineris relicitudine declinare: eorumque gressus tardat pulchritudo itineris, dum delectat. Electis ergo suis ad se pergendum Dominus huius mundi iter asperum facit, nedum quisque vita praesentis requie quasi amoenitate viae pascitur, magis eum diu pergere, quam citius peruenire delectat: ut dum oblectatur in via, obliuiscatur, quod desiderat in patria. NOTANDUM autem est hoc loco tentationibus daemones magis obnoxios esse probos, quam improbos, nouitios in religione, quam veteranos. Non quaritabulus, scribit B. HIERONYMVS ad Eustochium, de custodia virginis, homines infideles, non eos qui foris sunt, & quorum carnes rex Affirmis olla succendit: de Ecclesia Christi rapere festinat. Esca eius, secundum Abacuc, claustra sunt. Job subuertere cupit, & deuorato Iuda ad cribrandos Apostolos expetit postestatem. Et B. GREG. in Moralibus. Ne securitas negligentiam generet, scriptum est. Filii accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia & timore, & prepara animam tuam ad tentationem. Non enim ait, ad requiem, sed ad tentationem: quia hostis noster aduocet hac vita nos positos, quanto magis nos sibi rebellare conspiciat, tanto amplius expurgare contendit. Eos enim pulsare negligit, quos quieto iure possidere se sentit. Contra nos vero eo vehementius incitatur, quo ex corde nostro quasi ex iure propria habitatio expellitur.

IV. REMED. Considera Deum idcirco noluisse vitam nostram immunem esse à tentationibus, quia ex iis magnæ ad nos deriuantur vultures. PRIMA est, quod reddant nos doctiores, nobisque ipsis notiores. Quis non est tentatus, ait Sapiens, quid scit? AMBROSIVS de fide resurrectionis. Petrus quamuis plenus fide deuotionis, tamen quia nondum conscius nostrae infirmitatis praesumptiuè dixerat Domino. Animam meam pro te ponam: tentationem praesumptionis antequam tertio gallus cantaret, incurrit. Licet ipsa tentatio documentum fuerit ad salutem, ut discamus non contemnere carnis infirmitatem, ne contemnendo tentemur. Et AVG. in psalmum 36. Vnusquisque se tentatione tanquam interrogatus agnoscit sicut Petrus, quas vires haberet fides eius vtiq; nesciebat, quando dixit Domino. Tecum paratus sum vsque ad mortem. Dominus autem, qui nouerat eum, praedixit vbi deficeret, praenuncians illi infirmitatem eius tanquam tacta vena cordis eius. Proinde Petrus, qui ante tentationem praesumpsit de se, in tentatione diluit se. II. Utilitas est, quod reddant nos humiliores. CHRYSOSTOMVS ad populum Antiochenum. Quoniam sancti & admirabiles Paulus & Petrus, & omnes quicumque tales qualescunque sunt, tamen homines sunt: & multa cautionis ne facile extollantur indigent, & maxime omnium sancti: (nihil enim sic arrogantiæ extollere consuevit, vti officiorum conscientia, & anima cum libertate viuens) Nequid igitur tale illi patientur, tentationes & tribulationes esse concessit, quae possent ipsos corripere, & persuadere, ut in omnibus moderatè agerent. Et GREG. libro secundo Moralium. Mira hoc nobiscum dispensatione agitur, ut mens nostra culpa

Hier. ep. 22.

Abac. 1. 6.

Greg. l. 4. c. 13.

Eccli. 2. 1.

Eccli. 14. 9.

Amb. orat. 2.

Ioan. 13. 37.

Aug. conc. 1. de 2. parte.

Luc. 22. 33.

Chry. hom. 1.

Greg. 4. 37.

culpa nunquam pulsatione feriat. Nam esse se magnarum virium homo crederet, si nullum unquam earundem virium defectum intra mentis arcana sentiret. Sed cum tentatione irruente quatitur, & quasi vltra, quam sufficit, fatigatur, ei contra hostie sui insidias munimen humilitatis ostenditur, & vnde pertimescit eneruiter cadere, inde accipit fortiter stare. III. est quod augeant in nobis meritum gratiæ & vitæ æternæ. Beatus vir, inquit B. Iacobus, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. Et iterum. Omne gaudium existimate fratres mei, cum in tentationes varias incidertis: scientes, quod probatio fidei vestræ patientiam operatur: patientia autem opus perfectum habeat. AMBR. in Lucam Non timeamus tentationes, sed magis gloriemur in tentationibus di entes. Quando infirmamur, tunc potentes sumus: qui tunc enim neffitur corona iustitiæ, &c. Ergo vult coronare, tentationes suggerit. Et si quando tentaris, cognosce quia paratur corona. Nonne tentatio Ioseph virtus est consecratio? nonne iniuria carceris, corona est castitatis? Et IOAN. CASSIANVS. Maiora nobis per colluctationem tentationum laudis contulit præmia benigna erga nos gratia saluatoris, quam si omnem à nobis necessitatem certaminis abstulisset. Etenim sublimioris præstantiorisq; virtutis est, passionibus arumnisq; vallatum manere semper immobilem, & acquirere quodammodo de infirmitate virtutem, quia virtus in infirmitate perficitur. IV. est quod ex iis cognoscamus Deo nos curæ esse, ab eo diligere & amari. Quem enim diligit Dominus, inquit Apostolus, castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit. vnde Angelus ad Tobiam. Ego obtuli orationem tuam Domino. Et quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te. CHR. Y. in Genesim. Ne existimemus esse signum, quod nos dereliquerit & despiciat Dominus, si tentationes nobis inferantur, sed hoc maximum sit nobis indicium, quod Deus nostri curam gerat. Nam & si habemus peccatorum sarcinas, que nos premant, poterimus magnam patientiam & gratitudinem declarando leniores eas facere, & si non multa habeamus peccata, iterum maiori fruamur gratia, si grato animo tulerimus. Quia enim Deus noster liberalis est, & nostræ salutis curam gerit, ea de causa quasi luttam & exercendi materiam nobis preponit, ut si quod nostrum est declaremus largiore dignetur nos cura. Quod cum scimus, ne tristemur in tentationibus, sed gaudeamus cum B. Paulo dicente. Nunc enim gaudeo in afflictionibus. Si autem in afflictionibus gaudebat, quomodo unquam potuit in tristitia esse? Etsi vero tentationes viles sint & salutares, quando fortiter sustinentur, & dū ad peccatum inuitant, vincuntur: tamen quia multi illis succumbunt, deinceps antidota aliqua adscribam, quibus in iis expugnandis uti possis.

V. R E M E D. Tentationi ad peccatum admittendum incitant illico in ipsis foribus resiste, iuxta illud Ouidii. Princi, iis obsta, sero medicina paratur, cum mala per longas inualuere moras. HIER. ad Eustochium, de custodia virginittatis. Nolo senas cogitationem (libidinis) crescere, nihil in te Babylonium, nihil confusions adolescent, Dum parvus est hostis interfice, ne quitia, ne zizania crescant, eli-

Iac. 1. 12.
v. 2.

Amb. l. 4. c. 4.

1. Cor. 13. 10.

Cass. coll. 24.
c. 25.

2. Cor. 12. 9.

Heb. 12. 6.

Tob. 12. 13.

Chry. hom. 32.

Coloss. 1. 24.

Onid. de remed

Hier. ep. 22.

- Psalm. 8. 8.* datur in semine. Audip salmistā dicentem. Filia Babylonis misera. beatus qui retribu-
tū tibi retributionē tuā. Beatus qui tenebit. & allidet paruulos tuos ad petra. Quis nisi
p. sibile est, in sensum hominis non irruere innatum medullarum calorem, ille laudatur,
ille p. dicitur beatus, qui ut cæperit cogitare sordida statim interficit cogitatus, & al-
die ad petram: petra autē Christus est. S. GREG. in hanc rem affert exemplū B.
I O B. Quanti culminis vir iste Iob fuerit, ex nostri cordis deiectione videamus. Eius
qua illicita aliquando cogitauit, quia ea citius inter arcana cordis gladio sancti vigore
extinxit, peruenire illa vsq. ad opera non permisit. Vnde i lico subiungit. Et si in manibus
meis adhaesit macula. Quomodo enim macula in manibus, id est, culpa actionib. inha-
reret, quam censura disciplina non sinebat in cogitatione proficere? Et alibi, Prima se-
pentis (diaboli) suggestio mollis ac tenera est, & facile virtutis pede conterenda, sed
hac inualefcere negligenter permittitur, eique ad cor aditus licenter prabetur, tamē
virtute exaggerat, ut captam mentem deprimens vsq. ad intolerabile robur excrescat.
Eodem spectant verba illa B. CYP. dum agit de tentationib. Christi. Dia-
boli irritationib. obuiandum est, nec coluber foueri debet, donec in serpentem formetur.
- VI. REM. Gladio verbi Dei obortā tentationē confice. Hoc antidoto
enim Christus Saluator disiecit omnes tētationes diaboli. Et Apostolus
Ephesius consuluit ut eodē cōtra tētationes dæmonis vterentur. Et galat. in-
quiēs, salutis assume, & gladiū spiritus q. est verbū Dei. Resistere tentatōnib. in-
quit B. Greg. alicubi. omnino non sufficit, qui hunc verbi Dei tenere gladiū male vi-
uendo postponit. Vnde HIER. loco citato. Statim ut libido titillauerit sensum, aut
blandū voluptatis incendiū dulci nos calore p. fuderit, erūpamus in vocem. Dominus ax-
iliator me⁹ nō timebo, quid faciat mihi caro. Cū paululū interior homo inter vicia
virtutes, cæperit fluctuare, dicit. Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spe-
ra in Domino, quia confitebor illi, salutare vultus mei, & Deus meus. Et multo post.
Si quando senseris exteriorē hominē florē adolescentia suspirare, & accepto cibo, cū te in
lectulo composuā dulcis libidinis pōpa cōcussērit, arripē scutū fidei in quo ignea diaboli
extinguntur sagitta. Oēs adulterantes quasi cōlibanus corda eorū. At tu Christi comita-
ta vestigijs, & sermonib. eius intenta, dic. Nonne cor nostrū ardēs erat in via, cū aperiret
nobis Iesus scripturas? Et illud. Igni tum eloquium tuum, & seruus dilexisti illud. Diffi-
cile est humanā animā aliquid nō amare, & necesse est, ut in quoscūque mēs nostra tra-
hatur affectus. Carnis amor, Spiritus amore superatur, desit dicitur desiderio restringitur.
Quicquid inde minuitur, hic crescit, & c. Idē in epistola ad Eustochiū Virginem,
de Epitaphio Paulæ matris, p. lixē ostendit quemadmodū B. Paulæ mater
oīa tētationū & afflictionū genera, gladio verbi Dei, hoc est, varijs scriptur-
ræ sententijs, quasi monstra domuerit. In tētationibus, inquit, Deus omnia
verba voluit. Tēat vos Dominus Deus vester, ut sciat si diligatis Dominū Deum
vestrū de toto corde vestro, & de tota anima vestra. In tribulationib. & angustijs repli-
cabat eloquia. Qui ablati estis à lacte, qui abstrati ab vberē, tribulationē super tribu-
lationem expectato, spem super spem, & c. multa. Actandē subdit. His & talib. ressi-

monis quasi armaturam Dei et aduersus omnia quidem vitia, sed precipue instruebat se contra inuidiam seuentem, et patiendo iniurias furoris rabidi pectoris mitigabat. Sic S. Basilius. Bas. q. 35. reg. breu. Iac. 4. 6. Id. hom. 22. posita quaestio, quomodo superbia tentatio vel vitium sanetur respondet. Sana- tur, si fide quis habeat sententiae illius, qui dixit. Dominus superbis resistit. Idem remedi- um praescribit in homilia de humilitate. Omnino, inquit, vera memor esto par- mia. Superbis resistit Deus, humilibus verb dat gratiam. In promptu habedictum illud Do- mini. Quis quis seipsu humiliauerit exaltabitur, et qui seipsu exaltauerit humiliabitur. Io. CAS. collatione 2. c. u. docuisset Christu tres diabolice tentationes. Scri- pturae testimonii expugnasse. His autem, inquit, testimoniis edocemur, ut fraudu- lentis suggestionibus inimicinos quod si similiter auctoritate scripturarum debeamus obfistere.

Bas. q. 35. reg. breu. Iac. 4. 6. Id. hom. 22.

Matt. 23. 12. Cass. c. 10.

VII. R. E. M. Oratio & diuini nominis inuocatio. Quod Christus ipse discipulis suis ingruente tentatione praescripsit, dicens. Orate ne intretis in tenta- tionem. Et Apostolus Paulus, dum ait. Induite vos armaturam Dei ut possitis stare aduersus insidias diaboli. exponens autem illam armaturam, subiicit. Per omnem orationem & obsecrationes orantes omni tempore in spiritu, et in ipso vigilantes in omni iustitia & obsecratione pro omnibus sanctis. Imo Christus hoc remedium intra ipsam orationem Dominicam inclusit, cum iussit in ea nos orare. Et ne nos inducas in tentationem. Et libera nos a malo. Idemque omnes sancti in suis tentationibus semper vsurparunt, ut psalter regius passim in psalmis, Chri- stus Saluator passione impendente, D. Paulus in 2. ad Corinth. cum ter-

Matth. 26. 42. Eph. 6. 18.

Matth. 6. 13.

2. Cor. 12. 8.

Dominum rogauit, ut a stimulo carnis liberaretur: & alibi. Vnde B. Pro- sper lib. 2. de vocat. gentium. Nunquam debet in auribus fidelium vox illa Domini non sonare, qua Apostolis dicitur. Vigilate, et orate, ne intretis in tentationem. Vbi si de vigilando tantum, non etiam de orando a seipulis admoneret, solas liberi arbitrii vires videre ut hortatus. Sed et addidit. orate, satis docuit superni futurum munus, ut eos etiam vigilantes tentationis procella non vinceret. Chry. in lib. de prouidentia Dei. Quemadmodum pueruli per terra facti statim confugiunt in sinum matris, sic nos, cum aliqua tentatione pulsamur per preces confugiamus ad Deum. S. Antonius, teste B. Athanasio demonum tentationibus opponebat quasi telum illud

Matth. 26. 42.

Chry. 13.

Athan. in Chris. vita.

Psal. 17. 6.

Psal. 67. 2.

Cass. coll. 20. c. 20.

Psal. 69. 2.

versiculum psalmographi. Dominus mihi adiutor, non timebo, quid faciat mihi homo. Dominus mihi adiutor et ego desisti in inimicos meos. Et illum. Exurgat Deus & dissipentur inimici eius, et fugiant, qui oderunt eum, a facie eius. ISAIAS Abbas apud Cassianum, exultimat versus psalm. 69. quo horas omnes canonicas in inchoamus, nempe Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina, esse potentissimum ad expugnandas omnes tentationes. Habet siquidem, inquit, aduersus vniversa discrimina inuocationem Dei, habet et humilitatem pia confessionis, habet sollicitudinis ac timoris sepe perui vigilantiam, habet considerationem fragilitatis suae, exauulitoris fiducia, confidentiam praesentis, semperq. astantis praesidium. Hic versiculus omnibus infestatione demonum laborantibus inexpugnabilis murus est, et impenetrabilis lorica, ac munitissimus clypeus. Hic pertinet quoque inuocatio

DEI PA-

DEIPARÆ Virginis, Angeli custodis, & aliorum sanctorum. In periculo inquit deuotus BERN. in angustiis, in rebus dubiis, Mariam cogita, Mariam inuoca, non recedat ab ore, non recedat à corde, &c.

VIII. REMED. Fortitudo & patientia in iis tolerandis. Resistit diabolo, ait B. Iacobus, & fugiet à vobis, Et B. Petrus. Sobrii estote, & vigilate, quia aduersarius vesler diabolus tanquam leo rugiens circuit querens quem deuoret: resistite fortes in fide. Neminem enim nisi ignaum & timidum, ac de Dei auxilio parum fidentem diabolus opprimit. Ita S. Antonius in hoc genere exercitissimus docuit. Si quod, inquit apud S. Athanasium, in peccatoribus nostris mala mentis & pauoris semen inuenerit, demones mox quasi latrones, qui deserta obtinent loca, ceptos cumulant timores, & crudeliter imminentes inflicta vexant animam. Sin autem alacres fuerimus in Domino, & futurorum honorum cupido succenderit, si semper omnia manib. Dei committimus, nullus de mori ad expugnandum valebit accedere. B. EPHR. de fide. Quemadmodum incus aliqua, licet quilibet saepe verberetur, non tamen dat tergum, neq. concavitatis formam in se recipit, sed eadem semper manet; sic & qui verum se vult gerere Christianum, inter diuersas tribulationes atq. tentationes, siue extrinsecus illatas ab hominibus contumelias, persecutiones, damna atq. alia eiusmodi siue intrinsecus à spiritib. malignis inductas angustias, vnus & idem manere oportet, fortiter quacunque obuenientia perferens. Pro munitione ac castro semper Christum Dominum habeat, ad eumque belli tempore confugiat, & illud seipsum resurget. Esto mihi in Deum protectorem, & in locum refugii, vt saluum me faciat. Sic enim quascunque poterit superare tentationes ingruentes, S. BASILIUS ad discipulum Chilonem. Primum frater, aduersus omnigenam tentationem animam p. munias tuam, & obfirmes patientia. At quo genere tentationum, inquit, solitus probari solet? Nimirum per rerum vita istius ingentem iacturam, per delationes criminum falso in te concinnatorum, per immorigeros, obreclatores, & persecutores. Per huiusmodi afflictionem tolerantiam fidelis quisque probatur. CHRYS. in dictum Apostoli. Habentes autem eundem spiritum. Hoc generosa ac Deum amantis anima officium est, afflictiones & aduersitates ferre, ceterum generose tolerare tentationem, atque insuper gratias agere ei, qui se tentari permittit, id demum summa fortitudinis merito videri potest, anima q. vigilantis, & qua omnibus humanis afflictibus sit superior. Si exempla requiras fortitudinis in variis tentationibus ea habes ex solis scripturis valde illustria, vt Job, Abrahæ, Ioseph, Dauidis, Eliæ, Danielis, Machabæorum, Pauli Apostoli, &c. Vnum tantum commemorabo S. Antonii, cui post dura diuturna q. cum demonibus truculentissimis certamina, (à quibus ad mortem vsq. multiplicibus plagis confectus erat) tandem lucidissimus quidam de cælo radius illuxit, in signum fugatæ turbæ dæmonum, & præsentis Christi. ac mox ex imò peccatore longa trahens suspiria his verbis compellauit Christum. Domine IESU, vbi quæso eras, cum tam immanes plagas corpore meo exciperem? Qui

Bern. hom. 3. de
B. Virgine.

Inc. 4. 7.
1. Pet. 5. 8.

Ath. in eius
vita.

Ephr. hom. 1.

Psal. 90. 3.
Bas. in ep.

Athan. in vita.

Qui respondit. Eram præsens, ô Antoni, & certamen, quod excelso inuictoque animo gessisti, spectabam. Nunc autem, quia tanta constantia pro mei nominis amore decertasti, ego vicissim nomen tuum toto terrarum orbe celeberrimum reddam.

XI. REMED. Firma spes & fiducia in Deo, sine qua nec oratio, nec fortitudo esse potest. *In silentio & in spe*, inquit Isaias, *erit fortitudo vestra.* & Dauid. *In Domino sperans non infirmabor.* Et. *Si exurgat aduersum me prælum, in Domino sperabo.* Et Apostolus. *Fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem.* Vnde HIER ad Eustochium. *Quod si dæmonum te multitudo turbauerit, & ad singula incitamenta vitiorum coeperis afluare, & dixerit tibi cogitatio tua. Quid faciemus? respondebit tibi Elifaus. Noli timere, quia plures nobiscum sunt, quam cum illis, & orabit, & dicet. Domine aperi oculos puellæ tuæ, ut videat: & apertis oculis videbis igneum currum, qui te ad exemplum Eliæ in astra sustollat, & tunc læta cantabis. Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium.* Et CHRYS. in Genesin. *Audi Christum dicentem. In mundo afflictionem habebitis, sed confidite. Ut ne audita tristitia spe excidant, statim fiduciam eis affert, & suam pollicetur gratiam. Sed confidite, ego vici mundum. Habes, inquit, cum qui graua alleuice, qui non permittet te submergi ab illatis tentationibus, qui cum tentatione & exitum prabet, & non permittet supra nostras vires inferri graua. Quid tristaris? quid moeres? quare tam abiecto animo es? Si quæ nostra sunt attulerimus: patientiam dico, & fortitudinem & mentis gratitudinē, nos sine despicit? num & si desperata sint res, vincere possunt sapientiam Domini nostri? ROBORARI autem potest fiducia tua mirum in modum in tentatione. Primò, si cogites, quod vt nauclerum tempestas, athletam stadium, ducem pugna, ita Christianum tentatio probet, vt loquitur B. Basilius, an constans sit, & fiduciam habeat in Deo. 2. si cogites dæmonem nihil posse nisi ei permittatur, vt liquet ex eo, quod apud Lucam refertur eos ne porcos quidem, nisi annuente Christo, ingredi potuisse. 3. si cogites, nec Deum pati, vt grauius hominem tentet, qua inferre queat, *Nō patitur nos tētari*, inquit Apostolus, *supra id, quod possumus.* 4. si cogites, ex mandato diuino Angelos nobis pugnantibus adesse. *Angelis suis mandauit de te, ait Dauid, vt custodiant te*, in omnibus viis tuis. 5. quia interno solatio non destituit afflictos. *Consolatur nos*, inquit Apostolus, *in omni tribulatione nostra*, quod omnibus armis fortius esse docet Chrysostomus in epistolam secundam ad Corinthios. 6. Deus ipse adest nobiscum in tribulatione, sicut erat cum S. Antonio. *Cum ipso sum*, inquit in Psalmis, *in tribulatione.* 7. si cogites te gratia Dei munitum longè esse fortioem dæmone, vt docet B. Gregorius in libro 34 moralium 8. dæmonem non ante homini præualere, quam bonis cogitationibus eum exuerit, vt apud Cassianum collatione octaua tradit S. Antonius. Hoc autem facere ipse, aut resciscere non potest, nisi nos ipsos exter-*

Isa. 30.
Psal. 25. 7.
Psal. 25. 13.
Heb. 6. 17.
Hier. ep. 22. de
custod.

4. Reg. 6. 16.

Psal. 22. 7.
Chry. hom. 32.
Ioann. 16. 33.

Euf. hom. 8. in
auaros.

Luc. 8. 32.

1. Cor. 10. 13.

2. Cor. 6. 11.

Chry. hom. 7.

Psal. 90. 15.

Psal. 98. 15.

Greg. c. 7.

Cass. c. 19.

- nis gestibus prodamus. 9. eundem dæmonem intrare quidem mentis iustorum posse. tamen in eis non posse morari, ut docet idem Gregorius in 27. moralium. Nam licet illicita suggerere possit, prævalere tamen non potest. 10. imo B. Chrysostomus in epistolam ad Ephesios scribit nos ne quidem ad luctam cum dæmone cogi, nisi ex nostra socordia.
- X. R E M E D. Vfus consignandi se signo crucis in tentatione. Omnes enim Patres docent plurimum valere formationem crucis, etiam ad ipsos dæmones pellendos. S. Ephraim. Hoc signo conspecto aduersariæ potestates conterritæ trementesque recedunt. S. G Y R I L L V S monet ut hoc signum ostentemus audacter. *Quando enim dæmones, inquit, vident crucem, recordantur crucifixi, S. Aug. quoque docet, omnia dæmonum machinationa virtute crucis ad nihilum redigi. Exempla eorum, qui signo crucis tentationes dæmonis repulerint, sunt innumera. Primum sit S. ANTONI, qui fuit B. Athanasio in summo tentationum æstu dicebat. Si quid valeatis, si vobis in me potestatis Dominus dedit, ecce præsto sum deuorare concessum: si vero impetresis, cur frustra nitimini? Signum enim crucis & fides ad Dominum inopugnabile nobis murus est. Alterum est S. Hilarionis, de quo, cum mirè agitaretur a dæmonibus, ita scribit Hier. Intellexit dæmonum ludibria & prouoluitur genibus. Crucem signante in fronte, talique armatus casside, & lorica fidei circumdatus, iacet fortius præliabatur. Tertium B. Martini, de quo Sulpitius. Frequenter diabolus dum mille nocendi artibus sanctum virum conabatur illudere, visibilem se ei formis diuersis ingerebat, aduersus quem semper interritus signo se crucis & orationis auxilio protegebat. Adde quartum Iuliani Cæsaris, qui licet apostata esset Christianæ religionis, tamen signo crucis ex more contra terrores oppresso dæmones fugauit, Ita docet Greg. Nazianzenus. Ad crucem, inquit, confugit, eaque se aduersus terrores consignat, eumque quem persequebatur in auxilium adsciscit. Valuit signaculum, cedunt dæmones, pelluntur timores. Quid detulit? uiniscit malum, rursus ad audactam redit, rursus aggreditur, rursus idem terrores urgent, rursus obiecto signaculo dæmones conquisceunt, perplexusque hæret dissipatus. Idem habet Theodoretus libro 3. hist. c. 3.*
- XI. R E M E D. Prudentia spiritualis in cognitione sui, suarumque affectionum & propensionum. Magis enim, ut monet alicubi Aug. dæmon timendus est cum fallit, quam cum seruit. Fallit autem, cum insidias suas nobis struit accomodatè ad nostras propensiones & affectus. Multimoda inquit B. Basiliius, sunt diaboli insidia & alios aliter decipit. Ad quod enim prouideret conspexerit, ad id propriis vitiis delinimentis atque illecebris. Et AMB. Tunc enim maximè insidiatur aduersarius, quando videt nobis passiones aliquas generari: tunc fomites mouet, laqueos parat, &c. Explorat aduersarius nostra arma, concitat tela. Si viderit moueri me, inserit aculeos suos, ut seminaria iurgiorum excutiat. Si miserero verbum indecorum, laqueum suum se ingerit. Iure dum mihi quasi escam propo-

Greg. c. 17.

Chry. hom. 22.
& hō. 54. in Act.
Apost.Ephr. lib. de
penit.
Cyril. catech. 23.Aug. l. de Symb.
c. 1.Athan. in eius
vita.

Hier. in. vita.

Sulp. in. vita.

Greg. orat. 1. in
Iulian.

Aug. in. Psal. 39.

Basil. in varios
serip. locos.
Ambros. offic. c. 4.

vindicta possibilitatem: vt dum vindicare cupio, ipse me inferam laqueo, et nodum mihi mortis asringam. Et B. Greg. Prius consperionem vnus cuiusque anti quis aduersarius perspicit, et tunc tentationis laqueos opponit. Alius namq. letis alius tristibus, alius timidus, alius elatis moribus existit. Quia enim letitia voluptas iuxta est, letis moribus luxuriam proponit. Et quia tristitia facile in iram labitur, tristibus peccatum discordie porrigit. Quia timidi supplicia formidant. paucis terrores intentat. Singulis igitur hominibus vitiis convenientibus insidiatur. Vbi ergo eiusmodi propensiones malas in te cognovis, coneris eos per quotidianum Examen conscientie euellere, vt fuse docet Cassianus collatione quinta, Cass. 014. scienim obsequeris monito Apostolico Ephesis dato, dum ait, *Nolite locum dare diabolo.* Eph. 4. 27. Qui enim animi sui inordinatas affectiones non coeret, materiam illi tentandi præbet.

XII. REMED. Expugnata vna tentatione, ne putes te securum ab alia. Hoc enim ingenium dæmonis est, quemadmodum liquet ex tentationibus Christi, vt vna discussa, comparet se ad aliam, *Dormitantes nos,* inquit Chry. Matth. 4. *expergefaceret solet,* et religiosos facere tentationum natura. Chry. hom. 2. ad pop. Cum igitur tur videris dilecte tentationem nunc quidem extinctam, rursum autem accensam, ne concidas, neu refugias: sed bonam spem teneamus, illud intra nos ratiocinantes, quod Deus non auersatus nos inimicorum manibus tradit, sed studiosos, et sibi magis familiares facere volens. Et S. BAS. *Falle voluptates, ab eis te per gradus auocans, illarum q. singulatum extinans consuetudinem, vt ne conferim, et velut agmine facto ad vnâ omnes in te irritata cooriantur, turbulentamq. tentationum intemperiem tibi accersant.* Vnam talium illicium voluptatum, se videris, mox ad alterâ accingitor, aciemque instruis spiritualem: sic enim non intempesiuam de singulis vna pristina illecebris consequere victoriam.

XIII. REMED. Fuge occasiones omnes tentationum. *Qui enim amat periculum,* ait Sapiens Eccli. 7. 27. & 13. *peribit in illo.* Et qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea. Ideo, inquit B. Chry. in Mattheum oramus, *ne intremus in tentationem,* quia eas que vere non debemus. Apposuit Seneca, ad Lucilium. *Quantum possumus, a lubrico recedamus. in seculo quoque parum summiter stamus.* Illustre exemplum huius antidoti existat apud Cassianum, de eremita, qui missum ad se ex patria fasciculum litterarum ne resignare quidem voluit, sed in ignem coniecit dicens. *I. e cogitationes patrie pariter concremamini, nec me ulterius ad illa que fugi, ruocare tentetis.* Idem fecit noster B. P. Ignatius teste Ribadineira in eius Rib. 1. 5. c. 2. vita.

XIV. REM. Refugium ad Patrem spiritualem. Quod est pro tyronibus religiosarum familiarum, & scrupulosis, de quo plura in V. Conscientia scrupulosa Et V. Iudicium proprium.

VIDE V. Curiositas. Illusiones Spirituales. Impatientia in aduersi. Luxuria. Peccatum.

TEPIDITAS SPIRITUALIS.

Remedia contra Tepiditatem.

I. REMED. Considera hanc Tepiditatem vel languorem spiritualem à Spiritu sancto improbari in sacris litteris. Nam Salomon in Proverbiiis suis ait. *Qui mollis & dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipatus.* Et Jeremias *Maledictus, qui opus Dei facit negligenter.* Et Christus apud Mathæum. *Omnis arbor, quæ non facit bonum fructum excidetur & in ignem mittetur.* Et, *Inutile seruum eicitur in tenebras exteriores.* Et, *Regnum celorum vim patitur & violenti rapiunt illud.* Et B. Iacobus. *Scienti bonum facere, & non facienti peccatum est illi.* Et B. Ioannes in Apocalypsi. *Vtinam frigidus esses, aut calidus, sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo.*

II. REMED. Considera, quemadmodum tepidorum Religiosorum mores (nam de his maximè agimus) descripserint religiosi Patres. Ac Ioan. Cassianus quidem libro monasticarum institutionum decimo describit his verbis. *Tepiditatem hanc nonnulli senum esse pronunciant meridianum demonem qui in psalmo nonagesimo nuncupatur. Qui cum miserabilem obsiderit mentem, horrorem loci, fastidium cellæ, fratrum quoque qui cum eo vel eminus commorantur, tanquam negligentium ac minus spiritualium aspersionem gignit atque contemptum. Ad omne quoque opus, quod intra septa sui cubilis est, facti desistunt & inertem. Non cum in cella residere, nec operam sinit impendere lectioni, nihilque se propere tanto tempore in eadem commorantem ingemiscit, donec fuerit illi consortio copulatus conquiritur atque suspirat, & ab omni se dolet spirituali quaestu inanem, in locoque vacuum consistere, ut pote qui cum posset etiam alios regere ac prodesse plurimis, nullam adificauerit, nec quenquam institutione sua doctrinaque lucratus sit. Absentia, longè posita magnificat monasteria, e contra vniuersa quæ habentur in manibus aspera. Propterea non posse se saluari putat in eo loco durantem, nisi relicta cella. Tum praeterea locum illucque anxius circumspicit, & nec fratrem sibi quenquam aduentare suspirat, sicut nulla re alia tantæ oppugnationis remedium, quam visitatione fratris cuiuspiam, seu somni solius solatio posse assistet inueniri. Deinde honestas idem morbus ac necessitas suggerit salutationes fratribus exhibendas, visitationesque infirmorum vel eminus, vel longius positorum. Quædam etiam pia ac religiosa dicit officia, illos vel illas debere parentes inquiri, & ad salutandos eos crebrius properari, illam religiosam, de uocantque Deo feminam, omni presertim parentum praesidio destitutam magnum opus esse pietatis frequentius inuisere, ac si quid ei sit necessarium, quæ à propriis parentibus negligitur atque despicitur, sanctissimum procurari, magisque portare in his operam pietatis impendi, quam infructuose, ac sine vllò profectu in cellula residere. S. Bern. vero in sermone de Ascensione Domini ita scribit. *Advertere potes in omnibus fieri religio-**

Prou. 18. 9.
Ier. 48. 10.
Matth. 3. 10.

Matth. 25. 30.
Matth. 22. 12.
Iac. 4. 17.
Apoc. 3. 15.

Cass. cr. 2. 3. 4.
Eial. 90. 6.

Bal. serm. 6.

religiosis congregationibus viros repletos consolatione, superabundantes gaudio, iucundos semper & hilares, feruentes Spiritu die ac nocte meditantes in lege Dei, crebro suspicientes in caelum, & puras manus in oratione leuantes, solictos obseruatores conscientiae, & deuotos sectatores bonorum operum, quibus amabilis disciplina, dulce ieiunium, vigiliae breues, labor manuum delectabilis, & vniuersa denique huius conuersationis austeritas refrigerium videatur. Contra sanè inuenire est homines pusillanimes & remissos, deficientes sub onere, virga & calcariibus indigentes, quorum remissa latitudo, pusillanimitas tristitia est, quorum breuis & rara compunctio, animalis cogitatio, tepida conuersatio: quorum obedientia sine deuotione, sermo sine circumspeditione, oratio sine cordis inentione, lectio sine adificatione, quos denique, vt videmus, vix gebeunæ metus inhibet, vix pudor cohibet, vix frenat ratio, vix disciplina cohercet. Id serm. 63.

quodam in Cantica circa finem in hunc modum depingit mores frigidorum vel tepidorum nouitiorum. Hoc frigus, inquit, si semel animam inuasit, mox (vt in corpore solet euenire febricitantibus) subit quidam animi rigor, & vigor lente scit, languor fingitur virium, horror austeritatis intenditur, timor sollicitat paupertatis, contrahitur animus, subtrahitur gratia, protrahitur longitudo vitae, sopitur ratio, Spiritus extinguitur, deseruescit nouitius feruor, ingrauescit tepor fastidiosus, refrigerat fraternitas, blanditur voluptas, fallit securitas, renouat consuetudo. Quid plura? distimulatur lex abdicatur ius, fas proscribitur, derelinquitur timor Domini. Dantur postremo impudentiae manus, praesumitur ille temerarius, ille pudendus, ille turpissimus, plenus ille ignominia & confusione saltus de excelso in abyssum, de parnimento in sterquilinum, de folio in cloacam, de caelo in caenum, de claustro in seculum, de paradiso in infernum. S. BERNARDO adiunge BERNARDINUM Rosignolium Societatis Iesu Theologum, qui accommodatè ad hæc tempora in libris de disciplina Christianæ perfectione accuratè persecutus est hominis tepidi indicia, nempe hæc:

1. Orare sine attentione & feruore Spiritus.
2. Meditari res diuinas sine animi sensu, affectu, fructu.
3. Difficuler se expedire ab hominum frequenti, nec vtili conuersione & colloquio.
4. Aegrè redire ad seipsum, & nunquam aut rarè admodum in cor suum dissipatum animum cogere.
5. Examinare conscientiam, & seipsum inspicere quasi per transfennam, & strictim absque compunctione, proposito, & emendatione.
6. Latè, libenterque se diffundere in omnes res exteriores, non hominum salutis procurandæ, sed tedii sui mitigandi causa.
7. Consolari se, quæsitis solatiis ex rebus creatis, aut excogitationibus inanibus.
8. Liberè de aliis loqui, & eadem libertate aliorum facta, dictatè obseruare & reprehendere.

9. Grauius ferre disciplinam religiosam, si religiosus sis, & omnem admonitionem aut correctionem, quæ olim iucundissima fuisse, inuicem, intempestiuam, intolerabilem existimare.

10. Ad otiosam vitam aspirare, & subterfugere labores ad animarum auxilium fructuosos & necessarios: permittereque, ut earundem zelus omnino languescat: quæ grauis est culpa iis, quibus animarum cura aliqua commissa est.

11. Obedire maioribus, patribus spiritualibus, aut etiam legibus, quibus tenetur, sine vlla animi consolatione, imò cum fastidio lenè, frigide, inuitè.

12. Optare sibi ab hominibus honorem haberi, & ab illis se multum amari, hominum blanditiis, & forte etiam assentionibus delectari.

13. Existimare vocationem laborum suis meritis iam deberi, & immunitatem, qua careant alii, dandam sibi. Et si hæc forte alicui minima videantur, illa sine dubio maiora sunt, videlicet.

14. Frigere iam sacramentorum usum, nec ea amplius frequentare, ut inceperas.

15. Sacras conciones non audire: spirituales & viles libros non euoluere, vel certè rarè & fastidiosius.

16. Occasiones peccatorum minimè vitare ut antea, idcirco quia tibi multum, tuisque viribus fidis, quæ temeritas est maxima, atque occultior superbia. ita enim tepidus imprudens prouehitur in altum mundanorum fluctuum; sicque quo minus secum reputat, eo magis periculo propior.

17. Indulgeretibi, tuoque corpori deseruire, & paulatim quicquid salutari poenitentia astrinexas, relaxare molliore viuendi ratione.

18. Memoria replicare pristinos mores, & mundanorum hominum felicitatem, eoque mentis cæcitate induci, ut mundi voluptates, & delicia, quæ prius somnia, ludibriaque, uti sunt, videbantur, non displiceant, ut antea, arridere & incipiant potius, ac præclara, quædam bona videantur.

19. Diuinos instinctus, quibus ad seueritatem vitæ, & Christianam disciplinam subinde excitaris & impelleris, vel non aduertere, vel dissimulare, & in aliud tempus differre, vel quod deterrimum est tepiditatis genus, etiam negligere.

20. Spiritualibus Patribus non auscultare, uti consueueras, & quam eorum consilia præsens probas, absentem factò ab eis discrepare, clam te subtrahere, & ab eorum magisterio, cura que refugere.

III. R E M E D. Considera tepiditatem è diametro pugnare, cum instituto & professione hominis religiosi. Proprium siquidem religiosi, imò

Christiani hominis est tendere ad perfectionem vitæ Christianæ, ac proinde & proficere in dies in studio virtutis. D E V S enim vult omnes suos discipulos esse perfectos, dicens. *Estote perfecti, sicut pater vester celestis perfectus est.* Et S. Iacobus. *Vos fieri perfecti & integri in nullo deficientes.* Tepidi vero sunt, qui nihil cogitant de progressu in pietate, nec ad maiorem perfectionem aspirant. Contra quos ita scribit A V G. *Quantumcumque hic vixerimus, quantumcumque hic profecerimus, nemo dicat, sufficit mihi, iustus sum: qui dixerit, remansit in via, non novit peruenire. Vbi dixerit, sufficit, ibi haesit. Attende Apostolum, cui non sufficit. Fratres, inquit, ego me non arbitror apprehendisse. Et rursus dicit. Qui se putat aliquid scire, nondum scit, quemadmodum eum oporteat scire. Vnum autem quæ retro sunt oblitus, in ea quæ ante sunt extensus secundum intentionem sequor ad palmam supernæ vocationis. Ille ergo currit, tu haesisti? ille dicit nondum se perfectum, & tu iam de perfectione gloriaris? Confundantur qui dicunt tibi, euge, euge. Confundaris & tu inter illos, qui tibi dicis, euge, euge. Clarius S. BERN. ad Abbatem Garinum. Nunquam, inquit, iustus arbitratur se comprehendisse, nunquam dicit, satis est: sed semper esurit sititque iustitiam, ita ut si semper viveret, semper quantum in se est, iustior esse contenderet, si semper de bono in melius proficere totis viribus conaretur. Et paulo post Vbi sunt, qui dicere solent, Sufficit nobis, nolumus esse meliores, quam Patres nostri, O monacho, non vis proficere? Non. Vis ergo desicere. Nequaquam. Quid ergo? Sic mihi inquis, vivere volo, & manere in quo perueni, nec peior fieri patior, nec melior cupio. Hoc ergo vis, quod esse non potest. Quid enim stat in hoc seculo? Ipse denique hominis seculique auctor, quamdiu in terris visus est, & cum hominibus conuersatus nunquam stetit. Et quidem, teste scriptura, pertransiit bene faciendo, & sanando omnes. Pertransiit ergo, sicut non infuictuosè, ita non remisè, non pigrè, non lenio gressu, sed quemadmodum item de eo scriptum est. Exultavit ut gigas ad currendam viam. Per id currentem non apprehendit, qui & ipse pariter non currit. Et quid prodest Christum sequi si non contingat consequi? Ideò Paulus aiebat. Sic currite, ut comprehendatis, &c. Quod si illo currente tu gradum festis, non Christo appropias, sed te magis elongas, timendum quæ tibi est, quod ait David Ecce, qui elongant se à te Domine peribunt. Itaque si proficere currere est, ubi proficere, ibi & currere desinis. Vbi vero non currere, ibi & desicere incipis. Hinc planè colligitur, quia nolle proficere, non nisi desicere est.*

IV. R E M E D. Considera tepiditatis pericula, præcipue tria. Primum est, faciendi præteritorum meritorum iacturam, ut monuit B. GREG. in Pastoralibus. Admonendi sunt, inquit, qui inchoata bona minime consummant, ut cautè circumspèctione considerent, quia dum proposita non perficiunt, etiam quæ fuerant cepta conuclunt. Si enim quod videtur gerendum sollicita intentione non crescit, etiam quod fuerat bene gestum decrescit. In hoc quis pe mundo humana anima quasi more nativus est contra iectum fluminis condescendentis, quæ vno loco nequaquam stare permittitur, quia ad ima relabitur, nisi ad summa conetur. Si ergo inchoata bona fortis operantis manus ad perfectionem non subleuat, ipsa operantis emissio

Prou. 13. 9.

Apoc. 3. 16.
Cass coll. 6. c. 17.

Prou. 16. 4.

Cass coll. 4. c. 19.

Apoc. 3. 16.

Bern. ep. 96.

Id. serm. 6.

contra hoc quod operatum est pugnat. Hinc est enim, quod per Salomonem dicitur: *mollis & dissolutus in opere suo fuerit, frater est sua opera dissipantis*. ALTERUM est, dandi occasionem grauiori ruinae. Qui enim in virtute progredimur vult, quasi ianuam occludit inspirationi diuinæ ac proinde exponit se periculo ne abiiciatur vel euomatur, vt loquitur Apocalypsis, à Deo bene notauit I O A. C A S S I A N V S. *Lapsus, quispiam, inquit, neque quæ subitanea ruina corruisse credendus est, sed aut prauæ institutionis d. coeptus exordia, aut per longam mentis incuriam paulatim virtute animi decedente & per hoc sensim incrementibus casu miserabili concidisse. Ante contritionem enim præcedit ruina, & ante ruinam mala cogitatio: quemadmodum domus nunquam subitaneo ad ruinam procumbit, impulsu, nisi aut antiquo vitio fundamenti, aut longa inhabitantia deficiat. Sicidius primum paruis penetantibus corrupta sensim fuerint munimenta telorum.* TERTIUM periculum est, nunquam emergendi ex gurgite tepiditatis. Vnde GREG. loco iam citato. *Sicut ante teporem frigus sub spe est, ita post frigus tepor in desperatione. Qui enim adhuc in peccatis est, conuersionis filicium non amittit. Qui vero post conuersionem tepuit, & spem quæ esse potuit, de peccatore subrexit.* Fufius CASSIANVS. *Qui semel tepido exorsus in initio monachi capit abici conuulso, nec tamen humilitate ac feruore, quod debuit, iter huius professionis arripuit, infelix semel hac miserabili lue, & in ea quodammodo resolutus, nec ex se ulterius proficisci sapere, nec alterius poterit monitis erudiri. Dicit enim in corde suo secundum illam Domini sententiam, quia diues sum & locuples, & nullius egego. Cui illud quoque, quod subsequitur consequenter optabitur. Tu autem es miser & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus: in eo factus etiam seculari deterior, quod nec miserum se, nec nudum, aut emendatione dignum, vel egeere monitis alicuius, aut institutione cognoscit, & ob hoc nec exhortationem quidem ullam verbalis salutaris admittit, & frequenter enim vidimus, de frigidis atque carnalibus, id est, de secularibus atque pagani ad spiritalem peruenisse feruorem: de tepidis atque animalibus omnino non videmus.* Cum qua sententia congruit illud B. BERN. ad Richardum Fontanensem Abbatem, eiusque socios. *Multo facilius, inquit, reperias multos seculares conuerti ad bonum, quam vnum quempiam de Religiosis transire ad melius. Rarissima enim in terris est, qui de gradu, quem forte in religione semel attigerit, vel parum ascendat.* V. REMED. Considera, quam infelix & miserabilis sit tepidorum status. Non tibi horum, ait BERN. in sermone de ascensione Domini, *reatus inferno penitus appropinquare videtur, dum intellectu affectui, & affectu intellectu repugnante necesse habent mittere manum ad opera factiua, qui cibo fortium minime prestentantur, socij plane tribulationis, sed non consolationis. Exurgamus obsecra, quocumque eiusmodi sumus, resarciamus animas, spiritum recolligamus abiicientes perniciosam tepiditatem, et si non quia periculosa est. & Deo solet, (vt interdum miserabiliter plangimus) etiam vomitum prouocare: certe quia molestissima: plena miseria & doloris, & inferno planè proxima ymbra mortis iure censetur.*

VI. REMED. Considera, quanti Deus faciat feruorem Spiritus è diametro repugnantem spiritui tepiditatis. *Neque enim Spiritus & caro, inquit alicubi B. BERN. ignis & tepiditas in vno domicilio commorantur, praesertim cum tepiditas ipsi Domino soleat vomitum provocare.* Primum, Deus ipse ignis consumens est. vt est in Deuteronomio. Consumens, nimirum tepiditatem, omnesq; imperfectiones nostras. *Est Deus in nobis, ait quidam Poeta Ethnicus, agitante calefcimus illo.* Deus nunquam à labore cessator est. *Pater meus inquit Christus apud Ioannem, Usque modo operatur, & ego operor.* Deinde Deo proximi Angeli ab ardore, vel incendio, teste B. Hieronymo, dicuntur Seraphin. Et omnes pinguntur alati, ob promptitudinem in exequendis Dei mandatis salutèque nostra procuranda. Quod ad homines attinet, fidelis populi Duces summi non alii electi sunt, quam qui zelo diuino arderent; vt in veteri testamento Iudaici populi Moyse, Dauid & alii. In nouo gentilis, B. Paulus & Petrus. Ex Apostolis quoque Christus cariores habuit Petrum, Ioannem & Iacobum maiorem, ob eorum ardorem. Martyrum memoriam omnibus sanctis anteponebat Ecclesia ob eximium in fide & caritate, qua flagrarunt, ardorem. Quid aliud primos anachoretas Paulum, Antonium, Macarios, Arsenium, Pachomiu, aliosque innumerabiles, ac imprimis Ordinum religiosorum primos auctores & fundatores tam celebres reddidit, nisi ignis coelestis, quo pectora eorum arserunt, totumque mundum ad imitandum inflammarunt? S. Franciscus Seraphicus, totus in amore Dei vt carbo igneus, auctore B. Bonauentura, etiam hyeme vnica tantum veste contentus erat, affirmans, *non posse frigere foris, qui intus calefceret.* Noster quoque Franciscus Xauerius inter labores conuersionis Indiarum nonnunquam ita ardebat, vt acclamare cogere ad Dominum. *Satis est.* Nemini hunc ignem negat, qui apud Lucam dixit. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi vt accendatur?*

VII. REMED. Si existimes te in eiusmodi tepiditatem labentibus annis incidisse, aut non longe ab ea abesse, securim ad radicem pone, hoc est serio labora, vt ad pristinum feruorem Spiritus reuertare, non neglecto spiritualis Patris, si ad manum sit, consilio. Primum autem firmum in animo de vita emendanda renoua propositum, diuinumq; auxilium implora, vt sancti in omnibus tribulationibus & negotiis grauib; fecere, quo fortiter illud, superatis omnibus, quæ incidere solent, difficultatibus, exequi possis. Secundo confessionem generalem, vel de tota vita, vel de eo temporis interuallo, quo languescere cepisti, cum singulari cordis contritione institue, & ad sacram Eucharistiam accede. Qua sumpta tibi ipse ordinem ratione inque meditandi, orandi, pios libellos lectitandi, & alia huiusmodi describe, deinceps accurate obseruanda. Tertio singulis

Tt menti

Ben. leem. 3. de
ascens.

Deut. 4. 24.

Heb. 12. 29.

Quid. 6. fast.

Ioan. 5. 17.

Hier. ep. ad Da-

ma. 162

Bonau. in eius

vita.

Horat. in eius

vita.

Luc. 12. 49.

Achan, in eius
vita.

Psal. 76. 11.

Mai. 28. 15.

Mar. 6. 31.

mensibus, aut maioribus festis, vel bis quotannis idem propositum renoua. Si enim veteres sancti exemplo S. Antonii quotidie soliti erant vitæ instituendæ propositum renouare, vt quotidie ad mortem parati essent, & dicere cum regio Propheta. *Et dixi, nunc capi: hæc mutatio dextera excelsi.* Quanto magis nos præcipuis aliquibus totius anni diebus. Experimento in multis hætenus probatum est, renouationem illam crebriorem magnopere profuisse ad conferuandum vel reuocandum veterem feruorem spiritus. Quarto, si tepiditas illa nimis altas in animo tuo radices egisse videatur, vt communi illo antidoto agrè euelli possint, imitare exemplum eorum, qui Medici corporalis consilio acidulas quantumuis longius remotas petunt, vt potu earum diuturniore inhaerentem morbum repellant, hoc est, cum Medici spiritualis consilio in secessu aliquo ab hominum consuetudine separato, recogita cum Ezechia rege omnes superioris vitæ annos in amaritudine animæ tuæ, commentationes aliquas de fine ad quem à Deo conditus es, de variis Dei beneficiis in te collatis, de peccatorū grauitate, de mundi vanitate, de hominis nouissimis de vita passioneq; Christi Domini institue, experierisq; hæc solitaria Spiritus exercitatione tantum in animo ignem accendi, vt tepiditas tua suum deinceps retinere non possit. Hanc secessionem discipulos docuit Christus, cum apud Marcum cis dixit. *Venite seorsum in desertum locum, & requiescite pusillum.* Quo loco EVRYMIYS sic habet. *Docemur hinc oportere. Et sic magistros non semper se exponere multitudini, sed cum datur opportunitas, reuerti ac solitarios esse mentemque ab exteriori distractione renouare.*

VIDE. V. *Accedia. Desolatio spiritalis. Distractio. Inmortificatio passivum. Inconstantia. Ingratitudo. Lingua abusus. Otium. Pigritia. Praesumptio. Procrastinatio. Pusillanimitas. Tristitia.*

TIMOR HVMANVS SERVILIS.

Remedia contra Timorem Humanum.

Math. 26. 70.

Prou. 29. 25.

Iob. 6. 16.

Eccli. 22. 22.

I REMED. Considera quid diuina scriptura dicat de timore humano vel mundano, quo quis perculsus non veretur transgredire legem Dei vel S. Ecclesiæ: cuiusmodi fuit Petri Apostoli, dum negauit Christum, & Iudæorum, qui timentes ne tota gens periret, eundem occiderunt Scriptura autem improbat hunc timorem, & ab eo dehortatur. Nam Salomon ait. *Qui timet hominem, cito corruet* Et Iob. *Qui timent pruinam, irruet super eos nix.* Et Ecclesiasticus. *Sicut pali in excelsis, & cæmenta sine impersa posita conuertunt faciem ventis non permanent: sic & cor timidum in cogitatione stultis contra impetum*

Timor non resistet. Et Christus apud Lucam. Dico vobis, amici mei, ne timeamini ab his, qui occidunt corpus, & post hac non habent amplius quid faciant. Et B. Petrus. Quis est, qui vobis noceat, si boni amulatores fueritis? Timorem autem eorum ne timeatis & non conturbemini. Et B. Ioannes. Timor non est in caritate, sed perfecta caritas foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habet. Et in Apocalypsi. Timidis autem & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus & veneficis, & idololatriis, & omnibus mendacibus pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure.

Luc. 21. 42

1. Pet. 3. 13.

1. Ioan. 4. 18.

Apoc. 21. 8.

Basil. in Psal. 33.

Psal. 63. 23

Amb. de Ioseph. c. 4.

Chry. hom. 6 ad pop. A.

Hier. lib. 2. in Pelag.

Id in c. 1. Prou.

1. Ioan. 4. 18.

Psal. 18. 19.

Aug. in Psal. 12

Psal. 13. 1.

Ioan. 11. 48.

Id in Psal. 118.

conc. 25.

II. REMED. Considera SS. Patrum sententias. **S. BASILIVS** Non quivis timor bonus est aut salutaris. Est enim quidam hostilis timor, quem propheta deprecatur, ac petit, ut ne anime inseratur sua, dicens. A timore inimici eripe animam meam. Hostilis enim hic timor nobis ingignit mortis timorem, atque ut toti contrabamur pavore ad fastum persone eminenti persuadet. Quomodo ergo hac metuens martyrij tempore poterit vsq; ad mortem adversus peccatum resistere? **S. AMB.** Nihil tam speciale servitutis est, quam semper timere. Ille vero in quavis conditione servitii semper liber, qui amore non captivatur, avaritia vinculis non tenetur, metu criminis non alligatur, qui securus spectat presentia, quem futura non terrent. **S. Chry.** Haec autem nunc dico & omnes excepo historias, in quibus tentationes & tribulationes, & regum ira & insidia sunt, ut nihil timeamus, nisi tantummodo DEVM offendere. Etenim & tunc fornax accensa erat: illi vero hanc qui tem contempserunt, peccatum autem timuerunt. **S. Hier.** Non dicam mulierem, sed hominem formidare, de animi perturbatione descendit, quæ vitio cavere non potest, dicente David. Dominus auxiliator meus, non timebo, quid facit mihi homo. Et rursus. Duo sunt timores Domini. Prior servilis, qui principium scientiae vel sapientiae vocatur, secundus amicalis qui perfectiorem sapientiam comitatur. Timor servilis principium sapientiae est, quia quis quis post errorem delictorum sapere incipit, primo timore diuino corripitur, ne ad tormenta ducatur: sed hunc timorem perfecta dilectio foras mittit: succedit autem timor Domini sanctus permanens in seculum seculi, quem non excludit sed auget caritas. Ipse est, quo timei filius bonus, ne vel in modico oculo amantissimi patris offendant. Nam inchoatio timore servilis adhuc animus meruit, ne ab irato Domino pœnis subigatur. **S. AVG.** Illi, qui Christo dixerunt, non est DEVS, ibi timuerant ubi non est timor. Dixerunt enim. Si dimiserimus eum, venient Romani, & tollent nobis locum & regnum. O stultitia & imprudentia, dicens in corde suo, non est Deus. Timuisti perdere terram, & perdidisti eam: timuisti ne venirent Romani, & tollerent tibi locum & gentem, nunquid tibi tollerent Deum? Quid ergo restas? Quid, nisi ut iam fatearis, quia tere e voluisti & tenendo male amissi. Perdidisti enim & locum & gentem occidendo CHRISTVM. Et iterum. Timor, quo non amatur iustitia, sed timetur pœna, servilis est, quia carnalis est. Vivit enim peccandi voluntas, quæ tunc apparet in opere, quando speratur impunitas, Cum vero pœna creditur secutura, latenter vivit, vivit tamen. Mallet enim licere, & dolet non licere, quod lex vetat: quia non spiritaliter delectatur

eius bono, sed carnaliter malum metuit, quod minatur. Timore autem capto, hunc timorē foras mittit. peccare timet caritas, etiamsi sequatur in punitas. S. Bernardus ad Ogerium canonicum regularem. *Vides certe, quem timorem tibi inuenit timor, non qui tibi sit laqueus desperationis, sed qui spem acquirat beatitudinis. Timor generat, nutrit et seruat humilitatem, sed mansuetudinem, sed patientiam, sed largiuitatem. Quem non delectat tam incluta proles? Alterius verò misera sebolus est pertinacia, immoderata tristitia, rancor, horror, contemptus et desperatio.*

III. REMED. Cogita Deum præsentem omnibus actionibus tuis adesse, & non facile metu alicuius alterius diuinam legem præuacillare. Hoc utebatur rex Dauid, ne à suo proposito facile dimoueretur. *Præuacillabam, inquit, Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dexteris est misericordia commouear.* Eodem se muniebat Elias Thesbites, cum diceret ad Achab. *Vult Dominus Deus Israel, in cuius conspectu sto, si erit annis his ros et pluuia, nisi iuxta oris mei verba.* Hoc clypeo tectus B. Paulus in prædicando Dei verbo omnem timorem principum & aliorum abiiciebat. Vnde cum aliquando ut est in Actis Apostolorum, periculum esset ne discederetur à Sacerdotibus, sequenti nocte, inquit Lucas assistens ei Dominus ait. *Constans esto. Sicut enim testificatus es de me in Ierusalem, sic te oportet et Romæ testificari.* In epistola verò altera ad Timotheum ipse de se ita scribit. *In prima defensione, nemo mihi assistit. Dominus autem mihi assistit, et confortauit me, ut per me prædicatio impleretur.* Quæ loca S. Patres etiam de visibili præsentia Christi intellexerunt. Eodem de causa in summo cum dæmonibus certamine S. Antonio aluit Christus, eiusque vulnera sanauit, ut narrat in eius vita S. Athanasius. Sic Romæ assistit Petro ante passionem, ut robur illi adderet ad omnia mala perferenda pro Christi nomine. Nam cum Petrus diceret *Domine quo vadis?* respondit. *Vade Romam iterum crucifigi.* Ita refert S. Ambrosius in oratione contra Auxentium, & Athanasius in Apologia pro fuga sua. Vnde B. BASILIVS in quadam homilia, hoc remedium indicans sic loquitur. *Qui dæmonum imaginatione facile consernatur et expanseit hostilem in se timorem habet. Omnino autem timor huiusmodi perturbatio, nimirum anime esse videtur procreata ex infidelitate. Nam qui Deum ut adiutorem fortissimum credit sibi adesse, nullum vim se inuadentis pertimescit, nec facile commouetur.*

IV. REMEDIUM. Clauum clauo pelle, hoc est, timorem minoris Domini, expugna timore maioris, nempe Dei: & timorem minoris confusionis vel poenæ, timore confusionis maioris, nempe futuræ in die iudicii extremi, vel poenæ maioris, nempe sempiternæ inferni. Hoc antidoto post acceptum Spiritum sanctum vsus est B. Petrus Apostolus, cum, ut est in Actis Apostolorum, Sacerdotum Principe præcipiente, ne amplius docerent in nomine IESU, audacter respondit. *Obedire oportet DEO magis quam hominibus.* Et ante illum casta Susanna, cum, ut est

Bern. ep. 87.

Psal. 15. 8.

2. Reg. 17.

Act. 23. 11.

2. Tim. 4. 16.

Bas. Psal. 33.

Act. 5. 29.

apud

apud Danielem. sola à peruersis duobus senibus deprehensa in pomario, ait. *Angustia mihi sunt vniuersae. Si enim hoc egero mors mihi est. si autem non egero, non effugiam manus vestras. Sed melius est mihi absq[ue] opere incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini: & exclamauit voce magna.* Deinde Eleazarus in Maccabæorum historia, è scribarum primoribus vnus, ætate nonagena-rius, dum coactus ab impio rege carnes porcinas comedere contra Dei legem, respondit, *Etsi (vel carnes vorando porcinas, vel simulando me orate) in presenti tempore supplicii hominum eripiar, sed manum omnipotentis nec vniuersæ nec defunctus effugiam.* Eodem remedio vsi sunt plerique omnes martyres pro Christi fide trucidati, memores dicti Christi. *Noli timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed potius timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.* Eodem pertinet quod B. Chryostomus ad populum Antiochenum occasione trium puerorum ab Nabuchodonozore ad clibanum ardentem damnatorum dixit. Tunc inquiens, *fornax accensa erat, illi verò hæc quidem contempserunt, peccatum autem timuerunt.* Magnam enim supplicium peccare, etiam si non puniamur; peccata enim nos à Deo separant. *sicut & ipse dicit, Nomen peccata vestra separant inter vos & me? Pœna verò nos ad Deum perducunt.* Inquit enim. *Da nobis pacem, omnia enim retribuisi nobis. Si quis vulnus habeat, quid timere dignum est? saniem, an medici sectionem & peccatum, sanies est, pœna ferrum medicinale. Sicut igitur saniem habens, & si non secatur, male habet, & cum non secatur, tunc est in maioribus malis: ita peccans, etiam si non puniatur omnium est miserissimus, & tunc maxime miser, cum non punitur, & gratie nihil patitur.* Sic S. BASILIVS loco citato, *Si quando senseris te ad aliquod ceteri peccatum, in mentem reuoca nulli mortalium tolerabile Christi iudicium, in quo quidem præsedet iudex in sublimi throno: astabit porro omnis creatura ad eius aduentum contremiscens. Eo singuli sistuntur examinandi de his, que gesserint in vitiis. Eos autem qui multa perperam in vita admisserunt horrendi quidam circumstabunt angeli ignem expirantes, & vultum nocti similem præferentes, pro hominum merore atque odio. Deinde conspicient barabrum in imum patens impermeabilis quædam illas, ignemque obscurum, causticas quidem vires habentem, luce verò destitutum. Inde vermes innumerabiles venenosos & carniuoros, semper esitantes nunquam saturos, & intolerabiles dolores morsu instigentes. Postremo omnium durissimam pœnam, probrum illud & confusionem sempiternam. Hæc tu time, & eiusmodi timore eruditus quasi freno quopiam, animam tuam ad vitiosam concupiscentiam procliuem cohibe. Hæc contra timorem humanum.*

Dan. 12. 22.

1. Mach. 6. 26.

Matth. 10. 28.

Chry. hom. 6.

Sap. 1. 9.

Bas. in ps. 33.

1. Ioan. 4. 18.

Greg. 3. p. c. 14.

V. REMED. contra timorem seruilem, qui etsi malus non est, est tamen imperfectus, & ideo cum perfecta caritate, teste B. Ioanne consistere nequit. Ad illum autem repellendum B. GREG. in Pastoralis suggerit remedium his verbis. *Admonendi sunt, qui flagella metunt, vt si malis veraciter carere desiderant, æterna supplicia per borrescant, neque in suppliciorum timore per-*

1. Ioan. 4. 18.
Rom. 8. 15.

2. Cor. 3. 17.

maneant, sed ad amoris gratiam nutrimento caritatis exerceant. Scriptum est perfectam caritatem foras mittit timorem. Et rursum scriptum est. Non acceptis spiritibus seruitutis iterum in timore sed spiritibus adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abi pater. Vnde idem Doctor iterum dicit. Vbi spiritus Domini, ibi libertas. Si ergo libertas a praua actione formidata pena prohibet, profecto formidantis animum nulla libertas tenet. Nam si penam non metueret, culpam proculdubio perpetraret. Igitur itaque mens gratiam libertatis, quam ligat seruitus timoris. Bona enim pro seculis amanda sunt & non penis compellentibus exequenda. Nam qui propterea bonum facit, quia tormentorum mala metuit, vult non esse, quod metuat, ut audacter committat. Vnde luce clarius constat, quod coram Deo innocenti emittitur, & in malis talis desiderio peccatur.

Aug. l. 7. c. 31.

VI. REMED. contra eundem est, Consideratio diuinorum beneficiorum, quorum tanta est magnitudo & multitudo, ut nullus animus concipere, nulla lingua ea exprimeret possit teste B. Avg. qui in libro de Ciuitate Dei ita scribit. Habemus a Deo præter huiusmodi beneficia, quæ ex administratione naturæ bonis malisque argitur, magnum & honorum proprium magnamque dilectionis iudicium. Quamquam enim quod sumus, quod viuimus, quod celum miramur, quod conspiciamus, quod habemus mentem atque rationem, quæ eum ipsum, qui hæc omnia condidit, inquamus, nequaquam valeamus actioni sufficere gratiarum: tam quod nos oneratos, obrutosque peccatis, & a contemplatione suæ lucis auctos, ac tremoribus, id est, iniquitatis dilectione cæcatis non omnino deseruit: nisi que nobis in bonum suum qui est eius vnicus filius, quo pro nobis in assumpta carne nato atque passio, quanti Deus hominem pendere nosceremus, atque illo sacrificio singulari a peccati omnino mundamur, eiusque spiritu in cordibus nostris dilectione diffusa omnibus diffusitate superatis in æternam requiem, & contemplationis eius ineffabilem dulcedinem veniremus: quæ corda, quæ lingua ad agendas ei gratias satis esse contendunt? Hucusque Augustinus. Hæc beneficia si diligenter perpenderit, non potest non puro & sincero amore Deum diligere, eiusque præceptis exclusio omni timore seruili parere. Si enim bonus filius suo parenti, & bonus discipulus præceptori, memores beneficiorum exiguorum quæ ab eis acceperunt, libenter obsequuntur in omnibus non formidine poenæ, sed virtutis amore, ne eos offendant, quanto magis nos, qui veri filii Dei sumus, & germani discipuli Christi purissimo amore debemus obsequi diuinis præceptis, & non seruili, sed sancto vel casto timore Deum timere. Seruilius, inquit idem Augustinus de verbis apostoli, timor est, quo times cum diabolo ardere, timor castus est, quo times Deo displicere.

Aug. serm. 19.

Iob. 16. 21.
Sap. 17. 10.

VII. REMED. contra omnem metum, etiam naturalem est, bona conscientia. Vnde Iob de impio sic loquitur. Sonitus terroris semper in auribus illius, & cum pax sit, ille semper in insidiis suspiratur. Et Sapiens. Cum enim sit timida nequitia, dat testimonium condemnationis: semper enim præsumit sana peritura.

bara conscientia. Et CHRYSOSTOMVS in homilia de nequitia depulsa. Quid in proba conscientia molestius? nihil profecto. Nihil adeo nos frangere, vel urgere confuevit, quam rei a luerfa, aut mali imminentis expectatio: nihil vngquam adeo nos subleuat, & quasi voltare facit, quam recti conscientia. Quod quidem facile potest in rebus humanis aduerfi. Nam qui in carcere sunt capitis damnati, vel si delictis abunde fruuntur, vitam agunt longè moleftiorem, quam qui mendicando, nullius mali confecti vilitant. Ita M. TVLLIVS. Magna est vis conscientia, & magna in vtramque partem, vt neque timeant, qui nil commiferint, & penam femper ante oculos verfari pudent, qui decauerint. Et SENECA ad Luciliu. Bona conscientia prodire vult, & confpici. Ipfa nequitia tenebras tmet. Et infra. Proprium est nocentium trepidare.

Cic. pro Milone

Sen. ep. 97.

VIII. REM. est magna fiducia in Deum, cum inuocatione diuini nominis, & sanctorum coniuncta. Qua munitus rex Dauid dicebat. *Domine protector vitæ meæ à quo trepidabo.* Et. *In te Domine speraui, non confundar in æternum.* Et. *Qui confidunt in Domino sicut mons Sion, non commouebitur in æternum.* In quæ verba ita CHRY. Montem Sion vocat spem in Deum immutabilem, firmam, & constante inuincibilem & inexpugnabilem. Quemadmodum enim, etiam si quis innumerabiles adhibeat machinas, montem nec cauellere, nec labefactare poterit, ita etiam, qui eum aggreditur, qui fiduciam in Deum collocauit, reuertetur domum vacuis manibus. Monte enim longè tutior est fiducia in Deum. Hoc remedio contra terrores omnes vli sunt sanctissimi quique propheta, vt Moyfes, Elias, Daniel. quorum exempla producit S. BASILIVS in oratione de patientia, aliique innumerabiles.

Pfal. 26. 1.

Pfal. 30. 2.

Pfal. 12. 4.

Bas. quat. pa.

VIDE. V. Amor sui. Conscientia scrupulosa. Immortificatio passionum. Impatentia in aduersis. Mortis metus immodicus. Pusillanimitas. Tentatio. Tristitia.

TRISTITIA

Remedia contra Tristitiam.

IREMED. Considera, quid diuina scriptura de ea differuerit. Primo, duplicem tradit esse tristitiam, bonam & malam. Nam Apostolus ita alloquitur Corinthios. *Gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad penitentiam. Contristati enim estis secundum Deum. Quæ enim secundum Deum tristitia est, penitentiam in salutem stabilem operatur: seculi autem tristitia mortem operatur. 2. docet tristitiã seculi vel malam, (de qua nos hic loquimur,) esse noxiam animo & corpori. In morore animi, ait Salomõ, dicitur Spiritus. Et. *Moror in corde viri humiliabit illum, & sermone bono latificabitur.* Et. *Spiritus tristis exsecat ossa.* Et. *Sicut vinea vestimẽto, & vermis ligno, ita tristitia viri nocet cordi.* Et Ecclesiasticus, *Omnis plaga est tristitia cordis.* Et. *A tristitia festinat mors, &**

2. Cor. 7. 9.

Prou. 15. 19.

Prou. 12. 25.

Prou. 17. 22.

Prou. 25. 20.

Eccli. 25. 17.

Eccli. 34. 19.

corpore

Eccli. 30. 22.
Eccli. 7. 9.

cooperit virtutem, et tristitia cordis flectit cervicem. 3. dehortatur à tristitia. Tristitiam, ait Sapiens, non des anima tua. Tristitiam longe repelle à te. Multa enim cecidit tristitia, et non est utilitas in illa. Et. Noli esse pusillanimis in animo tuo. 4. commendat gaudium. Ut in Psalmis. Letamini in Domino et exultate iusti. Et in Ecclesiaste. Cognovi, quod non esset melius nisi letari, et facere bene in vita sua. Et. Non est oblectamentum super cordis gaudium. Et in B. Paulo. Gaudere cum gaudentibus.

Basil. orat. 12.

II. REMED. Considera verba SS. Patrum. S. BASILIUS oratione de mœrore. Quemadmodum vermes maxime in lignis tenerioribus nascuntur, sic mœrores ut plurimum in homines molliores cadunt. Neque tamen seminis, neque rore concessus est nimius luctus, ac ingens vis lachrymarum, sed ut paululum tantum rore in adversis tristitia sedent, et modicas quasi flammam lachrymas profundant, atque loca

Amb. orat. 2. in Satyrum.

quiete, ut nec dentibus infrendant, neque vulent, neque vestes discendant. S. Ambrosius de fide resurrectionis. Depone mœrorem, si potes: include, si non potes. Aut abibendus omnis, aut premedus est dolor. Cur enim mœstittiam tuam non ratio potius quam dies leniat? Nam quod obliteratur est temporis series, melius prudentia mitigabit. Quin etiam hoc ipsum irreligiosum puto, erga ipsorum memoriam, quis dolorem amissos, ut oblitisci eorum malimus, quam consolatione mulceri: aut cum horrorem minisci, quam meminisse cum gratia: recordationem timere, quorum imago debet esse voluptati. S. CHRYS. ad Olympiam. Tristitia animarum crudele tormentum est.

Chry. ep. 7.

dolor quidam inexplicabilis, et iudicium omni iudicio vindictaeque dæterius. Non enim vermi similis est venenato, non solum carnem, sed et animam ipsam perimit: et necna non solum ad ossa, sed ad corda pertingens, et perpetuus quidam carnis ex non animi dilanians, sed vires animae consumens: et iugis nox, ac tenebra profunda, et tempus et turbo, febris non apparens, omni igni validius incendens, et pugna requiem non habens, et languor plurimos obscurans videntium. Non enim nocetis tenebrae talis species, qualis nox mœrore existit, non quidem veniens ex lege natura, sed ex cogitatione mœrore securitate collecta, faciem omni tyranno crudeliorem præferens, nulli facile obtemperans eorum qui eam dissolvere moliantur. S. AUG. de Genesi ad litteram. Illud enim

Aug. lib. 12. c. 37.
Gen. 4. 29.

Iacob dicit ad filios suos. Deducetis senectutem meam cum tristitia ad inferos. Videtur hoc magis timuisse, ne nimia tristitia sic perturbaretur, ut non ad requiem beatorum iret, sed ad inferos peccatorum. Neque enim paruum animae malum est tristitia, cum etiam Apostolus cuidam tam sollicitè timuerit, ne maiore tristitia ab sorberetur. S. CHRYS.

2. Cor. 1. 7.
Greg. c. 31.
Eccl. 10. 15.

lib. 31. Moralium. Radix cuncti mali superbia est, de qua scriptura attestante dicitur. Initium omnis peccati est superbia. Primæ autem eius Soboles, septem nimium sunt principalia vicia, de hac virulenta radice proferuntur. Scilicet, inanis gloria, invidia, irascititia, avaritia, ventris ingluvies, luxuria. Et paulo post. De tristitia malitia, et pusillanimitas, desperatio, torpor circa præcepta, vagatio mentis erga illicita nascitur.

Call. c. 1.

CASSIANVS lib. 9. institutionum. Tristitia Spiritus orationes explorare non solita cordis alacritate non permittit, non sacrarum lectionum finit remediis succurrit.

tranquillum quoque ac mitem fratribus esse, non patitur, & ad cuncta operationum, vel religionis officia impatientem & asperum reddit. Et iterum. Absque illa tristitia, qua vel pro salutari penitentia vel pro studio perfectionis, vel pro desiderio suscipitur futurorum, omnis tristitia tanquam seculi, & qua mortem inferat & qualiter repellenda est, ac sicut fornicationis spiritus, vel philargyria, vel ira, de nostris cordibus penitus extrudenda.

III. R E M E D. Propone in animo tuo, si virtutis cultor sis, semper in Domino gaudere, ut hortatur Apostolus. *Semper, inquit, in Domino gaude.* Nihil enim præter peccatum contristare potest iustum, vel cum, cuius cor Dei amor vel timor possidet. *Anima, inquit B. BASILIVS in oratione de gratiarum actione, qua semel se modis omnibus desiderio sui astrinxit conditoris, iamque in suevit oblectare se tanta illius pulchritudinis contemplatione, profusus non sinit rebemens illud gaudium animi sui per multiplicem carnalium affectionum mutationem intercipi. Quin potius qua aliis mœrorem afferunt in cumulum lætitiæ sibi conuertet.* Hoc gaudio exultans Apostolus Paulus scripsit. *Propter quod placeo mihi in infirmitatibus, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo.* Et rursus. *Nunc gaudeo in passionibus meis.* Sic de Petro & Ioanne scribit B. Lucas. *Ibant à conspectu concilii, gaudentes, quod digni habiti essent pro nomine Iesu contumeliam pati.* Imò Christus ita faciendum docuerat. *Cum persecuti, inquit, vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos mentientes propter me, gaudete, & exultate.* Et B. Iacobus. *Omne gaudium, ait, existimate fratres, si in varias tentationes incideritis.* Rationem huius gaudii reddens B. CHRYS. ita locutus est ad populum Antiochenum. *Deum, sicut oportet, timens & in ipso confidens voluptatis radicem lucratus est, & omnem habet lætitiæ fontem.* Et sicut in mare immensum decedens exigua scintilla facile deletur, sic quantacumque Deum timentem illudantur velut in vastum lætitiæ pelagus incidentia extinguuntur atque perduntur. Vnde coniecere potes quantum sit discrimen inter hoc quod est in Domino, & mundi gaudium. Mundi enim gaudium, non potest posse cedere meritis tristitiæ. Nam dives, honoratus, sanus, vno aliquo infortunio, ut morte filii, ita turbatur, ac si omni ex parte miser esset. Exemplo sit Aman, qui cum esset ditissimus, & inter omnes principes regni Assueri primus, tamen mœrore contabescebat, quod vnicus homo ludæus Mardocheus illum non honorasset. At gaudium in Domino animum communit contra omnia aduersa. Qui enim est in gratia Dei, vel timet Deum, nihil reformidat nisi peccatum, sciens omnia mala potius augere lætitiæ animi, quam minuere.

IV. R E M E D. Considera, sitne futurum, præteritum, an præsens malum, ob quod mœrore afficeris. Si enim sit futurum, præmeditatione potes illud reddere mollius. *In die bonorum, inquit Sapiens, ne immemor sis malorum, non quasi euentura sint, sic enim animum cruciaries, contra illud*

Vvv Christi

Math. 6. 34.
Amb. c. 37.

Gen. 9. 23.
Greg. hom. 35.

Tuscul. 7.
Sen. ep. 77.

Chry. lib. 2. de
prouid.

Psal. 34. 28.
2. Tim. 2. 12.

Sen. c. 9.

Id. ep. 24.

Iac. 2. 2.

Ecdi. 11. 27.
Cass. 9. instit. c.
9.

Christi. Sufficit dici malicia sua, sed quod euenire possint. Vnde AMB. in lib. de Noe & arca. Sapiens, non solum præterita recordatur, sed etiam futura considerat, additq; id significatum à filiis Noe, Sem & Iaphet cum incedentes retrosum, anteriora tamen videbant. Et B. GREG. in Euangelia. Minus uacillati ferunt, quæ prævidentur, et nos tolerabilius mundi mala suscipimus, si contra hæc præscientia clypeum munimur: Sic M. T. CICERO, in Tusculanis. Præmeditatione futurorum malorum lenit eorum aduentum. Et SENECA Præcogitati mali nihil illius venit. Exemplum huius antidoti commemorat Plutarchus in lib. de tranquillitate animi. Scribit enim Vlysem peregrè reuersum cogitata repentina sui canis morte illacrymasse, non autem cognita morte vxoris, quia multo ante præsumperat morientis vxoris imaginem. Eadem præsumptione munitus ANAXAGORAS, teste Cicerone loco citato, nuntiata morte filii, respondit. Sciebam me genuisse mortalem. Adde CHRY. existimare esse animi prorsus abiecti & stulti morore se conficere ob futura mala, maxime si incerta sint. Maxima, inquit, est pusillanimitas eorum gratia, quæ necdum contigerunt, incertumq; est, an euentura sint, morore iam nos ac dolore conficit. Et infra. Summa est amentia in rebus incertis certo se iam truciati conficere.

V. REMED. Si præteritum sit malum, vel iam euenisse existimetur, (vt filius absens mortuus, vel merces naufragio periisse) necessitatem conuerte in virtutem, fortiter & lubenter sustine, eo quod ansam tibi hoc casu præbeat præclarissimas virtutes exercendi, vt patientiæ, magnanimitatis, fiduciæ in Deo. Deinde occasio data sit Deo studiosius seruicendi & plus apud eundem merendi. Qua cogitatione munitus Dauid Propheeta dicebat. Vide humilitatem meam, & laborem meum, & dimitte omnia peccata mea, & D. Paulus. Si sustinebimus, & conregnabimus. Ethnici quoq; philosophi cognouerunt aduersus casus prodesse, si moderatè ferantur. Calamitates, inquit SENECA lib. de tranquillitate vitæ, interdum in remedium cessere, et leuioribus incommodis grauiora sanata sunt. Et de prouidentia. Inter multa magna Demetrii nostri hæc vox est, quæ recens sonat adhuc & vibrat in auribus meis. Nihil, inquit, videtur mihi infelicitus eo, cui nihil unquam euenit aduersi. Et in epistolis. Demetrius noster vitam securam, & sine ullis fortuna incurtionibus mortuum vocat.

VI. REM. si verò malum sit præsens, mentem erige spe & fiducia promissa felicitatis æternæ, si patienter sustineris. Beatus enim vir, inquit Blacob. qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam, quæ Deum repromisit dignis se. Vnde Sapiens monet. In die malorum, ne immemori sis bonorum. Et IOAN. CAS. hoc vnum procuranda tristitia antidotum proponit. Hanc ergo, inquit, perniciosissimam passionem ita de nobis expellere poterimus, vt mentem nostram spiritali meditatione iugiter occupatam futura spe & contemplatione repromissa beatorum animis erigamus. Hoc enim modo vincitur tristitia, quæ peccata

siue qua ex precedenti ira descendunt, siue qua amissione lucri, vel detrimenti illatione nobis adueniunt, siue de irrogata generantur iniuria, siue q̄ de irrationabili mentis confusione procedunt, seu qua lethalem nobis desperationem inducunt, valebimus superare.

DEINDE cogita, mœrore te non minuere malum, sed augere potius: vt rectè dixerit Sapiens. *Non esse vilitatem in illa. Audiui,* inquit **CHRÿ**, ad populum Ant. multos ad seipfos dicentes, *Quæ vilitas quod dolui? nec pecunias recuperavi, et meipsum læsi.* Et ratio manifesta est. quia plus lædit hominem animi tristitia, quam alia quælibet iactura, nec aliter, quam amara herba cibus admixta omnes cibos reddit inspidos; sic omnes actiones nostras reddit fastidiosas & acerbis. demum perpende nihil esse noui, quod tibi accidit, multos ante te eadem mala passos & passuros. Quare Cicero in **Tusculanis** contra Carneadem tuetur carmen hoc Euripideum.

*Ecclesi. 70. 22.
Chry. hom. 72.*

Mortalis nemo est, quem non attingat dolor.

Morbis q̄: multi sunt humani liberi,

Ruisum creandi: mors que est finis omnibus,

Quæ generi humano nec quicquam afferunt.

Reddenda est terra terra, tum vicia omnibus

Metenda vt fruges: sic iubet necessitas.

VII. REMED. Considera incommoda, quæ tristitia solet afferre, tam corpori quam animo. Animo quidem, quia omnem actionem intelligendi & volendi quasi obstupescit & obtundit. Vnde **S. THOMAS Aquinas** alicubi testatur **B. CREG.** ex mœrore intermisisse pleniorẽ explanationem in **Ezechielem** Prophetam, ipse q̄ non obscure indicat homilia vltima in eundem. Idem vsu venit & **B. Hier.** in eundem **Ezechielem** cõmentaria scribenti, vt indicat in epistola ad **Pammachium** & **Anapsychiam**. Corpore verò, quia vt anima gaudens, teste Sapiente, ætatem floridam facit, ita spiritus tristis: exsiccat ossa, **BASILIVS** de gratiarum actione. Multos sane nouimus, cum calamitate ingenti affligerentur, sibi vi a lacrymis temperasse, deinde in quosdam morbos insanabiles cecidisse, in apoplexias, inquam, ac paralyses: alios verò penitus exanimatos esse, cum vt res ipsorum perinde ac debile fulcrum quoddam tristitiæ onere confringerentur. Et **CHRÿ.** de Prouidentia. Mœror etiam, absente demone, multa per se horrenda efficit, plurimosq̄ eorum, qui sibi vel nexerunt laqueos, consciverunt gladios, vel flumini se vendis, vel flammis donauerunt, vel alio quouis genere perdidere seipfos sola doloris ac mœroris vi ad ita occumbendum impulsos reperimus. Et iterum. *Omnis actioe diabolica potentior est ad nocendum mœroris magnitudo. Nam q̄ et demon quoscuq̄ superat, per mœrorem superat. Eum si auferas, nihil à demone quisquam lædi poterit.*

*Prou. 17. 22.
Basil. hom. 4.*

Chry. lib. 2.

Id. lib. 3.

VIDE. V. Desolatio spiritalis. Desperatio. Illusiones spirituales. Immortificatio passionum. Impatientia in aduersis. Inuidia. Mortis metus. Passilanimetas. Timor humanus.